

19
DE
PRENSATIONE, OSCVLO,
FASCIVM ET SIGNORVM IN
NAVIBVS S V BMISSIONE
DISSERENT

IO. MATTHIAS GESNERVS

ELOQ. ET POES. P. P. O.
ET
LVD. IO. GEORGIVS SAXER

WVRSATIA BREMENSIS
S. S. THEOL. CVLTOR ET SEMINARII PHILOGICCI
SODALIS
A. D. XI. SEPT. C I D C C X X X V .

GOETTINGAE
TYPIS IO. FRIED. HAGERI.

VIRO SVMME VENERABILI
MEINHARDO PLESKEN
ECCLESIA RVM PER DV CATVM CELLENSE M
SVPERINTENDENTI GENERALI CET.
IO. MATTHIAS GESNERVS
S.P.D.

Patere, vir summe venerabilis, vt salutatum te eunti, veterem Patronum suum, Saxero meo aliquid ad te literarum tradam, quem tua potissimum commendatione cognoscere, & cognitum amare coepi: qui proinde tibi debet, si quid illi Seminarii philologici beneficium profuit. Nullus equidem dubito, quin talis ad te redeat, qualis vt rediret, & rei publicae causatum cum illum a te dimitteres iubebas, & pro beniuolentia in illum tua optabas. Quod non adfert suo folius ingenio inuentum aliquid, sua elaboratum politumque industria; cum modestiae illius adscribes, qui memor sit fententiae, quam Anglus poëta lepidius expressit, quam ego possim Latine, *Multa legenda prius, tum demum scribere fas est* *; tum negotiis aliis hominem vrgenti bus. Quienam sit, vt Cunianus ille, *Catus Aeliu' Sextus etiam ipse Vir haud magna cum re, sed plenu' fidei, praeter suam rem coactus est etiam alias res agere, erudiae pueritiae dare operam.* Sed vel sic nempe suam quoque rem egit, & ad eam spem implendam, propter quam stipendio regio auctus est, paratior venit instructiorque, dignus proinde, quem porro tuo, Vir summe venerabilis, patrocinio dignere, &, si res ita ferat, rebus in ecclesia vel schola gerendis admoureas. Deus te seruet incolumen, & in summo illo gradu atque honore ecclesiae constitum doctrina, exemplo, consiliis atque auctoritate diu multumque ac feliciter curare publicam rem & sacram iubeat. Scribeb. in Acad. Georgia Augusta a. d. viii. Sept. c. 1500 XXXV.

* Authors before they write shoud read.

NOBILISSIMO DN. RESPONDENTI

ATQ[UE]A

S. D.

SAMVEL CHRISTIAN. HOLLMANN,

PHILOS. P. P. O. ET ACAD. H. T. PROR.

Quum publicum & insigne eruditionis Tuae, optimeque adeo in
nostra Academia collocati temporis, specimen iam edas, Amice
doctissime; quid meo Tibi planu, quid publico adeo diligentiae Tuae
testimonio, opus erat? praesertim quum illa etiam, ab aliquot in-
de annis, industria in rebus philosophicis usus sis, atque lateri sere
meo adeo tenaciter adhaeseris, vt, nisi mea forsitan docentis culpa in-
tercesserit, in harum etiam rerum cognitione. Te non plane hospitem
esse oporteat. Fidei tamen aliquantum & auctoritatis accessurum stu-
diis tuis existimas, cum apud alios, bene gratioseque Tibi cupientes,
tum apud Virum potissimum, doctrina & virtute sua theologica ve-
re Venerabilem, MEINHARD. FLESKENIVM, cuius nomen titulos
suos omnes superat, quem maximopere a me coli, a quo non nullo
me loco haberi nosti, a quo commendatus etiam ad nos accessisti;
si commendatus etiam ad eundem a nobis discederes. Felicibus ergo
auspiciis ad Ipsum, ceteroque Patronos Tuos, abi, quantiu[m] a nobis
Ipsi fiant, oculatus auritusque testis, cum multa salutis appreciatione,
Ipsis confirmata. Sed & in Patriam Tuam felicem fortunatunque Te
recipe, amicisque communibus salutem multam imperti; de reliquis
vero experimentum cape, num hominis sibi vel ignoti, vel iniusti, Ti-
bi vero amici, verbis plus fidei sint habituri, quam Tuis ipsius virtu-
tibus & meritis. Vale & me amare perge. Dabam in Regia Georgia-
Augusta A. MDCCXLV. die 5. Septbr.

CORROLARIA A RESPONDENTE ADIECTA.

I.

Animas ab animalibus parentum & ex iisdem produci & generari cum illarum indubitate vix conciliari posse, existimamus.

II.

Sententia de creatione animae rationalis non pugnat cum S. Scriptura.

III.

Argumento, quod a desiderio hominis infinito pro animae immortaliitate desumitur non ita multum tribendum est.

IV.

Cogitandi facultas, quomodo ex his quae de materia nobis nota sunt derivari queat, non videoz ratiōnibꝫ sicut ergo cōnomistis sc̄iāt. Ita enim ex alijs cōsiderationibꝫ. Iudicando alij nō habent sicut ab An omnia, ex aqua ceu materia & principio primo eoque unico, facta sunt, dubitari potest, tum quia id sensui & rationi, tum quia facis etiam literis repugnare videtur.

V.

Posita mundi independentia, tollitur Deus, sublata demonstrari potest: dari ens absolute necessarium, quod ab hoc uniuerso diuersum est, & a quo hic mundus, tanquam a causa sua, dependet.

VI.

Putanus, alias omnino eventus, facto miraculo, contingere, quam fecuti fuissent, si miraculum non patratum fuisset; sed propterea non sequitur. E. necessario admittenda sunt miracula cōnoratūs a rebus J. restitutionis.

VII.


Polygamia non contrariatur simpliciter legi naturae.

IX.

Ad interiorem veri amoris indolem perspicendam non sufficit desinitio, qua putant nonnulli: amare sine diligere idem esse ac felicitate alterius delectari, vel, quod eodem redit: felicitatem alienam adscire in suam.

X.

Libertas est peculiaris & ab intellectu & voluntate plene distincta animae facultas.



DE
PRENSATIONE, OSCVLO,
FASCIVM ET SIGNORVM IN
NAVIBVS SVBMISSIONE.

§. I.

*Occasio scribendi. Dextra data quarum rerum
symbolum esset.*

De venusta humanissimorum qui quondam fuere hominum
humanitate, gestu quodam corporis, verbisque, & actione-
nibus ei rei propriis declarari exhiberique solita, cum Li-
psiae viuerem, aliquot publicis scriptionibus certa de causa egi. Il-
lud sepositum per plures annos argumentum resumere placuit &
disputandum proponere: cum rogatus sum a Nobmo Saxero,
vt materiem suppeditarem, in qua ille & inquirenda, & pu-
blice defendenda, ingenii ac doctrinae aliquod specimen, ex lege
Seminarii philologici cui adscriptus est, posset edere: cumque de
variis salutandi in publico generibus adhuc sit a nobis disputatum,

A

dece-

*decedendi de via, ex equo descendendi, aperiendi caput, & προσχωνήσεως iam δέξιωσιν a Graecis dictam paullo diligentius inuitat persequi & ostendere, Latinam illi *prensationem* respondere. Ac primo repetimus, quod nemo ignorat, dextram manum, agendi validissimum & aptissimum instrumentum, ab antiquissimis iam mortalibus tanquam signum omnis potestatis esse adhibitum, ut hodie quoque adhibetur. Qui igitur manum suam dextram alteri porrigit & quasi tradit, ille modo significat, suam se vim, & quidquid possit, alteri permettere, eique se dedere, quod est *beniolenzia*; modo indicat, se pignori velut dare alteri optimum instrumentum suum, quae *fides* est; modo sua protensa dextra alterius dextram velut euocat, eamque, id est potentiam & copias alterius, sibi accommodari petit, hoc est *auxilium* rogat. Omnia ista, id est officiorum suorum delationem, fidem, mutuorum officiorum petitionem, complectitur nonnunquam δέξιωσις illa s. *prensatio*, quae adeo amicitiae ipsius & concordiae, coniunctionisque fidelis, & unionis virium symbolum est *. Sed age in rem quasi praesentein venientes, humanissimarum gentium consuetudinem dextra petendi & firmandi amicitias inspiciamus.*

§. II.

Prensatio Homerica. Quid αππάγεται.

Fons humanitatis etiam hic est, Homerus, apud quem I. K. 542 alii duces Graecorum redeentes a periculo Ulyssem & Diomedem

Δέξιη

* Non familiare modo in ipsa vita, omnibusque fere illius actibus, ubi fide & confidens opus est: sed figuris etiam expressum frequentissime in nummis. Exempla laudare supereracuum. Sed ne quis diu quaerat, inspicere poterit nummos Antonii, Lepidi, Caesaris triumvirorum.

Δεξῆς ήσπάζοντο, ἔπειστι τε μειλιχίστι.

Interpretatur Eustathius p. 749 v. 28 Basil. verbum ἀσπάζεσθαι
per περιπλέκεσθαι καὶ διον ἐις ἑαυτὸν σπάδαι, nosque ablegat ad
ea, quae monet Οδ. Γ. p. III, II χερσὶν ήσπάζοντο, nempe positum
esse, αὐτὶ τῷ ἐπεσπῶντο καὶ ἐιλην γίγα δεξιώσεως εἰς ἑαυτὸν ---- γε-
νομένης τοῖς λέξεως απὸ τῷ σπάδαι καὶ πλεονεμόν τῷ α. π. τ. λ.
Repetit ad Οδ. T. 415. p. 705 8. *. Hoc quidem apparet, de
Eustathii sententia, Homericum iam esse, in salutationibus, & ami-
citiae significationibus dextra prehendi prensariue, & leniter ad se
trahi, quibus ille honos haberetur. Ponamus alium Homeri lo-
cum, non quo is valde ad rem nostram pertineat; sed propter Eu-
stathii annotationem. ΙΑ. Ω, 671 Achilles cum firmaret inducas
XII dierum Priamo sepiendi Hectoris caussa promissas

— — — ἐπὶ καρπῷ χεῖσα γέροντος

"Ελλαβε δεξιερὴν, μήπως δεῖσῃ ἐν θυμῷ.

Ponit primo Episcopus p. 15II, 42 quod certum est, μέγα δὲ ἐις
πίστωσιν τὸ δεξιερόν, ὅφει τῶν δεξιῶν χειρῶν ἀπίεσθαι. Sed vide-
rit, quam verum sit, illud, quod addit, ὅρα δὲ, ὡς εἰ θέναρος εἰ
δεξιόμενος, οὐλαὶ καρπῷ ἥπτοντο. Fatetur ipse, σύδαιμος δὲ τέτοι-

873

* Vtique loco Eustathii vius sum ad Lucia. Rhet. Pracec. c. 12, T. III
p. 132. 54, ubi editum adhuc est ἀσπασόμενος ὅπόστον ἔτι λοι-
πὸν τῆς κόπους, ubi prius quantum adhuc supereft comae demulserit.
Repository nunc est ex MSS. ἐπισπασόμενος. Cui refragari equi-
dem nolim: licet putare aliquis possit, ἐπισπασόμενος esse glo-
sum Eustathianae, quam vidimus, simillimum. Ceterum pulchre
conuenit haec declaratio verbi ἀσπάζομαι ad illud epistolae ad
Ebr. II, 13 ἀσπασόμενοι τοῖς ἐλπίσας. Fides ea quae speran-
tur amplectitur, ad se trahit, sibi applicat. Ita Plutum illum iam
videntem, ut mos ex Aristophane videbimus, ήσπάζοντο ὄπαν-
τες, ad se trahere blando illo complexu studebant κ. π. λ.

A 2

Ἐλον σειφέτερον ἡμένευσιν ὁ ποιῆσις. Sit ita, Medici μαρτὶν interdum pro exteriori parte compagis illius osseae sumant, cui respondeat interius pulposum illud ex molle θένει. Et illa facies exterior intelligatur. Οδ. Ω, 397 vbi Dolius heri sui Ulyssis λεβών κύστε χειρί ἐπὶ καρπῷ, quae osculi manū apprimendi hodie etiam solennis ratio est, & fuit Plinio prodente: ita enim ΙΙ, 45 l. 103 *Dextra osculis auersa appetitur.* Sed in hac quidem δεξιώσει Achillis, Priamum dextra illius prehensa confirmantis, videtur non alterutra facies manus, sed ipsa tota illa compages cum digitis prehensa. Haec Homerica δεξιώσις, quae locum etiam habet in salutatione, ut ΙΑ. Σ, 423 vbi Vulcanus Thetin hospitem suam salutans ἐν τῷ φαῖ τῷ χειρὶ, ex Οδ. Α, 121 vbi Telemachus simili hospitalitate Mineruum sub Mentoris facie latenter intro vocans χειρέλε δεξιέρνην. η. τ. λ.

§. III.

Aristophanis & Xenophontis.

Apud Aristophanem Pluto v. 753 de ipso Deo Pluto visum consecuto narratur ἀνὴρ ἡσπάζοντο καὶ ἐδεξιῶσθ' ἄπωνες id est, in publico versantem appetebant, adoriebantur, salutabant, conciliare sibi omni modo studebant homines. Apud Xenophontem Cyrop. 3 p. 197 Hutch Chaldae ex hostibus pacati & amici πολλὰ δεξιωσάμενοι τὸν κύρον ἀχοντο σύναδε. Cyrop. 6 p. 454 Cyrus Araspan redeuntem videns ὑπήντα τε ἀντῷ καὶ ἐδεξιοῦτο. Quod exemplum fecuti amici ἡσπάζοντο Αράσπαν καὶ ἐδεξιεύτο. Tum mox p. 462 Cyrus Abradatam ἀγαθεῖς καὶ δεξιωσάμενος. Omnibus locis dextram prehensam, complexumque adeo, significat. Cyrop. 71 p. 505 mortuum etiam in praelio Abradatem ἐδεξιώτο Cyrus. Sed hic locus totus ponendus est cum proprietatem verbi declareret.

claret. Alloquitur mortuum, Φεῦ ὁ ἀγαθὸς πιστὸς ψυχὴ, σίκη
δὲ ἀπολιπὼν ἡμᾶς; καὶ ἄμα ἐδέξιστο ἀντὸν, καὶ οὐ χεὶς τῇ νεκρῷ
ἐπηκολάζθησεν ἀποκένοπτο γὰρ κοπίδι ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων. Pre-
fendantem cadaver Abradatae manus abfcissa (sed reposita, ut falleret
Cyrum) sequitur. Δεξιῶδας igitur est manum prehensam ad se
trahere.

§. IV.

Mutuum est quiddam in prensatione.

Mutuum quiddam & reciprocum esse in δεξιώσει, ostendit
inter alia locus Dionysii Halic. Antiq. 8 p. 515, 12 seq vbi primo
Marcium Coriolanum δεξιωσομένη προστήθει ή μήτηρ salutandi
causa accedit, quam ipse περιλαβὼν ἡσπάζετο --- οὐδὲ τῶν ἀσπα-
μῶν τῆς μητρὸς ἄλις ἔχει, τὴν γυνόντα δεξιωσάμενος ἄμα τοῖς τέκ-
νοις, θίπε, uxorem & liberos dextra porrecta excipiens, forte etiam
amplexus. Nimirum bene Pollux 2, 160 Λεξιώσεις τὸ δεναχτε,
ην καὶ λαβεῖν. Et ὑποδοχὴν interpretatur Suidas, qui etiam δεξι-
ταὶ verbi προσάγεται, ξενόδοχοι, φίλοι φρεσοῖ reddit. Cyrus ille
moriens apud Xenophonem Cyrop. 8, 7 εἴ τις ἐν ἦν ἦμῶν, inquit,
η δεξιᾶς βέλετοι τῆς ἐμῆς ἄφανδα --- προσίτω κ. τ. λ. Ac dein-
de de eadem ipsa re, ταῦτ εἰπὼν, καὶ πάντας δεξιωσάμενος, συνε-
καλύψατο. Sententia procul dubio ista est: Admitit Cyrus suos
familiares, dextramque illis porrexit, quam manu ipsi sua vel ore
adeo contingenter. Hoc dum facit, dicitur illos δεξιώσαδα. Ad
hoc genus δεξιώσεως respicit Lucia. Timo. c. 43. p. 156, 18 Καὶ
ἀπεξέσυντὸν δεξιώσαθε δεδόχθω, ην δέη ἀποθανεῖν.

§. V.

Romana prensatio.

Itaque mirum non est, hoc verbo expressam esse illam Ro-
manorum *prensationem* in magistratibus petendis adhiberi solitam,

v. g. Plutarchus in Marcio Coriolano p. 219, ἦν γένεσις ἔθος ἡν
 τοῖς μεταξι τὴν σίγχρην παιδαριλένην ὡς δέξιωδην τὰς πολίτας. Et
 Cato. min. p. 783, Εποιήμενος τὰς δέξιωτες de petente consulatu
 tum, vbi recte *prensans* positum ab interprete. Nempe ista quo
 que *prensatio* Romana in dextra prehendenda proprie inerat, licet
 aliam deinde humanitatem complectetur. Incunda est in eam
 rem narratio Valerii Maximi 7, 5, 2 de P. Scipione Nasica, qui aedili
 tatem curulem adolescentem cum peteret, manumque cuiusdam rusticō
 opere duratam, more candidatorum tenacius apprehendisset, iocē
 gratia interrogauit eum, Num manibus solitus esset ambulare?
 Quod dictum a circumstantibus exceptum ad Populum manauit,
 causamque repulsae Scipioni attulit cert. *Prensandi* verbo tanquam
 proprio ea de re vtitur Cic. de Orat. I, 24 ex persona Crassi
 Equidem cum peterem magistratus, solebam in *prensando* dimittere
 a me Scaevolam, cum ei ita dicerem, me velle esse ineptum: id erat
 petere blandius: quod nisi inepte fieret, bene non posset fieri. Refe
 rens eandem rem Valerius Maximus 4, 5, 4 Consulatum (memo
 riae vitio hunc appellare pro aedilitate videtur) petens, inquit, L.
 Crassus, cum omnium candidatorum more circum forum supplex po
 pulo ire cogeretur, nunquam adduci potuit, ut id praesente P. Scae
 vola -- ficeret. Itaque rogabat eum, ut a se, dum ineptae rei
 deseruiret, discederet. Mamertinus autem Paneg. 16, 2 ita, Cras
 sum praesente grauissimo & seuerissimo viro blandiri populo, palpa
 re obuios, & artes petitiones exercere, non esse ausum. Etiam o
 scula *prensatae* sic dextræ impressa refert Seneca epist. 118 pr. vbi
 de candidatis, Cum aliis illorum manus osculis conterat, quibus de
 signatus contingendam manum negaturus est. Totum hoc *prensare*
 est Tullio, apud quem Att. I, I. pr. de sua petitione consulatus a
 gentem, *Prensat* vnos P. Galba. Sine fuso & fallaciis, more maio
 rum

rum negatur. Ut opinio est hominum, non aliena rationi nostrae
sunt illius praecopera prensatio. Nam illi ita negant vulgo, ut mihi debere dicant: ita quiddam spero nobis profici, cum hoc percrebescit, plurimos nostros amicos inueniri. Nos autem initium
prensandi facere cogitabamus &c. Plin. Epist. 2, 9, 5 vbi enarrat
petitionem Erucii candidati a se suslimeri, Itaque prenso amicos,
supplico, ambio domus, stationesque circumeo; quantumque vel au-
toritate, vel gratia valeam, precibus experior. Linio praeſertim
frequentatum verbum, v. g. 3, 45 Tanta exarſit ambitio, ut pri-
mores quoque ciuitatis --- prenſarent homines, honorem --- suppli-
citer petentes. Et 4, 6 Prenſare homines & concursare toto foro
candidati coepere.

§. VI.

Alius usus prensandi.

Nec vero de magistratibus solum petendis ita loquitur Liuinus,
sed in aliis etiam precibus. V. G. 3, 47 Virginius vlturus Appii in
filia sua scelus, circumire & prenſare homines cocepit. Et 5, 30
Patres --- dissipati per tribus suos quisque tribules prenſantes, ora-
re cum lacrimis coepere, ne urbem deficerent, migrarent Veios.
Tac. An. 1, 21 trahi ad supplicium milites obniti trabentibus,
prenſare circumstantium genua: quod humillimae obſecrationis est.
At in materia laeta Liv. 4, 60 Concurſum ad curiam esse, prenſa-
rasque excuntium manus, & patres vere appellatoſ. Denique etiam
citra preces & blanditias prenſatio est, vt 4, 58 Tribuni plebis pren-
ſant veteranos i. e. manu prehensos producunt ad populum, eorum-
que cicatrices illi ostendunt. Nimirum ut captare ad capere, ori-
ginem suam, comparatur, ita ad prebendere f. prendere, prenſare.
Sic Hecubam apud Ouid. Met. 13, 424 Prenſantem tumulos, at-

que

que offibus oscula dantem, Dulichiae traxere manus. Et Fast. 5, 476.
Mandantem amplecti cupiunt & brachia tendunt; Lubrica pren-
fantes effugit umbra manus.

§. VII.

Δεξιώσεις Luciani sunt prensationes.

In hunc locum usque, reseruauimus Lucianas δεξιώσεις i. e. prensationes, de quibus Imag. c. 2 f. To. 2 p. 479, §1. Hic in Pantheae laudibus commemoratur, καὶ τοῖς προτίθεται δημοτικῶς ταὶ ἐκ τῆς ὁμοίας προσφέρεται, καὶ δεξιώσεις καὶ Φιλοφροσύνας Φιλοφρονεῖται τοσέται πάσι τοῖς προσομιλεῖσιν, οὐσω καὶ παρὰ μέτιδονος ὥμως γενέμενη ἀλλέν τραγουδόν ἐμφάνισται, quae ita conuerfa dedi. Et adeuntes ciuiliter atque aequaliter tractat, & in prensationibus salutationibusque praeferat humanitatem: quae quidem tantissimae sunt his, qui cum illa versantur, iucundiora, quo maior est, a qua proficiuntur, nec tamen fastum tragicum praeferunt. Non male puto hic δεξιώσειν in nostra interpretatione prensationes respondere, si vel maxime non, quid admirerit illa, indicetur, pren- fari se, dextram suam dextris & osculis salutantium adorantiumque passa contingi; sed quid porrigenda sua manu, complectendisque blande & comprimentis salutatorum manibus, egerit. Eo autem libentius prensationes hic posuimus, cum δεξιώσεις, quantumvis late alias * pateant, hoc quidem in loco non omnem illam vel adeuntium vel excipientium alios humanitatem & blanditiam ex-

pri-

* V. G. Aelia. V. H. 3, 19 τῇ τε λοιπῇ δεξιόμενος αὐτὸς τιμῇ,
καὶ ἐν τῇ ποινωνίᾳ τῶν λόγων. Et 1, 2 Sinaetas Si non vult esse
inferior quoquam τῶν ἄλλων, τῶν δὲ δεξιωσαμένων τοῖς δώροις
Anaxerxem.

primant, quippe quam φιλοφροσύναι, quas Panthea φιλοφροσύναι, designant, quibus verbis, & sensus omnis amicitiae, & illius per signa externa declaratio, continetur. Laudantur hic Pantheae δεξιώσεις, prensationes, quatenus illa inter reliquam humanitatem etiam est dignata manus humiles & verba precantium (Stat. Silu. I, 4, 47). Quale quid, licet in alia re, suo discipulo suadet, non modo venustatis sed amorum etiam magister (Artis 2, 254) *Lunge tuis humiles, ambitiose, manus.*

§. VIII.

Osculum salutantium ad manus etiam & pedes depressum.

Prensationi s. δεξιώσει non minus quam προσκυνήσει adiunctum fuisse osculum, iam indicauimus; qua de re non postulamus dedita opera disputare, quod totis libris explicatum esse oscularum omne genus nouimus: sed ne plane omisisse videamur argumentum ita luculentum, pauca certe, &c, vt nobis videbatur, paullo insigniora adferemus. Ac primum ore suo os alterius contingere, quod proprie osculari est, apertam habet coniunctionis cuiusdam animorum, omniumque rerum, significacionem. Honoratissima pars vultus nostri os est, quo sermonis ope foras prodire solet noster animus, & se velut videndum contrectandumque praebere. In oris etiam tacentis ipso gestu manifestae omnium animi nostri affectionum significaciones insunt. Hoc igitur qui alterius ori applicat, in omnium, quae animo nostro sentimus aut agimus, communionem cum altero se venire velle, naturali quodam signo indicat. Mirum itaque non est, illud mox amatorium, & artissimae animorum corporumque coniunctionis praerogatiuum, factum esse. Haec cum aliis causa fuit, vt primum illud & proprium genus oscularum non nimis vulgari voluerint homines, sed gradus quosdam & dis-

erimina illorum inuenient, atque (ne alia comminemorem) manu, quin pedibus figere & excipere oscula humiliorum, hinc misera adulatio, illinc superba arrogantia instituerint. Osculum proprium dictum quam solenne in salutationibus fuerit, vel editum Tiburii indicat, quo, Suetonio teste c. 34 oscula quotidiana prohibuit: nec tamen effecit, ut non paucum de ipsis conquereretur faeculo altero Martialis, v. g. II, 99 quod ita claudit, *Remedium mali solum est, Facias amicum, basiare quem nolis.* Cum hoc enim transfigi potest. Hic non ita ambitione caput. Summae familiaritatis indicium est, quod Q. Cicero Tironi scribit, ultima earum, quae familiares vocantur, *Tuos oculos, etiam si te veniens in medio foro visvero, diffauariabor.* Antiquissimum hoc. Eumaeus Telemachum herum salutans Od. II, 15 Κύσσε δέ μιν περιθάν τε καὶ ἀμφῷ φέρεται, Χείρας ταῖς φοτέρες. Principes, ne ipsis accideret, quod Herculi illi Agrigentino, cuius (vt ait Cicero Verr. 4, 43) rectum ac mentum paullo erat attritus, quod in precibus & gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solebant: principes igitur non promiscue os offerebant, sed ad manus primum depresso oscula, denique plane ad pedes. De Caligula Dio 59, p. 661, A. ΕΦΙΛΕΙ ὁληγίερες τοῖς γυρὶ πλεύσαις καὶ τῶν συμβελευτῶν τὴν χεῖρα ἢ τὸν πόδα προσκυνεῖν ὥσπερ. Hic quidem προσκυνήσις f. *adoratio* proprio dicta potest intelligi, quae non os ipsum admouet manui pediue, sed suam manum ab ore suo versus manus aut pedem eius, quem honorat, protendit. Sed diserte de eodem Caio Seneca de Benef. 2, 12 *Caesar -- Pompeio Penno -- absoluto & agenti gratias porrexit osculandum sinistrum pedem &c.* sunt enim pluscula. Hic suppliciter agebat gratias, metu mortis liberatus. Sed de eodem Caligula Dio 59 p. 663, B Pomponius Secundus, qui cum maxime consulatum gerebat, παρεῖται τοῖς ποτίνων αὐτῷ

εἰντες καθίμενος, extra lectum tricliniare non una accumabens, sed assidens in sella, η ἐπικύπτων συνεχῶς κατεφίλει. * In excerto Legationum e Polybii 15 pr. Legati Romani memorant, quam humiliter se gesserint Carthaginensium oratores, cum in consilium admissi essent Romanum quod Tunete habebatur, ὡς πεσόντες ἐπὶ τὴν γῆν ἀγεννοῦς τὰς πόδας παταφιλοῖεν τῷ συνεδρίῳ. Sed haec voluntaria adulatio erat, quae se ad ipsum quoque solum & limina interdum abiiciebat. Polybius Exc. Legat. 97 de Prusia Bithyniac Rege in Senatu Romano καθεῖς τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας προσενήνητε τὸν βόον. Est etiam haec προσκύνησις, adoratio, manu intercedente facta. Sed Liuius tamen 45 extr. ita exprimit, *submisso sc̄o, osculo limen curiae contigisse.* Caeterum Martialis 10, 72 felicitatem saeculi Traiani praedicans adulatores ad Parthos abire iubet, & *Pictorum*, inquit, *sola basiate regum &c.* Caeterum non iniunctum erit, puto, etiam adiecisse lepidam Arisippi excusationem, qui reprehensus ab aliquo, quod in depreciatione pro amico, ad pedes accidisset Dionysio, causam dixit apud Laert. 2, 79 ἐν ἐγῷ ἀντίος, ἀλλὰ Διονύσιος, ὁ ἐν τοῖς ποσὶ τὰς δικοὺς ἔχων. Sed de salutatione proprie nobis sermo est, eaque in re superbiam principum, an maiestatis suae conseruandae studium? memorare coepimus, siuus os non temere vulgantium. Sic Domitianus apud Sue-

* Laudans hunc locum Lipfius Elector. 2, 6 extr. vbi notatu dignissima quaque de omni oscularum genere colligit, ista addit, *Et tenere superbū, ne dicām impium lunc morem (quid enī homo, infra hominem, hominem abiicis?) principes aliquot fecuti, sed non e bonis. Iam Romae fuerat, cum ista scriberet Lipfius. Eleca edita CICIO LXXX, nec postea mutatum quidquam; quod fere est ut mireris in viro ita dedito nouis amicis, ita Romanam aulam veiente.*

to. 12 *Caenidi patris concubinae osculum ut adsueuerat offerenti, manum praebuit.* Indignus etiam tractat, eodem teste c. 57 C. Caesar Cassium Chaeream, licet praetoriae cohortis tribunum, solitus ex aliqua causa agenti gratias osculandam manum offerre, formatam commotamque in obscenum modum. Contra Traianum ita laudat Plin. Pan. 24 *Non tu ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis.* Manet imperatori, quae prius oris humanitas, dexteræ verecundia.

§. IX.

Milites osculantur dextram ducis. Vester substratae procedentibus.

Militare fuisse dextram ducis osculari, duobus locis etiam alia causa memorabilibus ostendemus. Mittitur apud Tac. A. I, 34 ad exercitum turbidum Germanicus. Postquam vallum initit, dissoni questus audiri coepere. Et quidam, prensa manu eius per speciem osculandi inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret: alii curuata senio membra ostendebant. Sed Tribuno etiam Catoni minori talis honos habitus est a militibus. Ponamus totum locum Plutarchi in vita p. 764, C, quo obiter etiam illustrari possit ille Domini nostri introitus Hierosolymitanus, vestibus comitum procedenti substratis honoratus. Sic autem habet: ἐπεὶ δὲ τέλος ἔχει η σεμέτεια τῷ Κάτωνι, προεπέμφθη ἐπ ἐνυχίῳ (οἱ κοινόν ἐσιν) ἀδὲ ἐπάνοις, αὐτὰς δάγκυσι η περιβολῆς απλίσοις, ὑποτιθέντων τὰ ιμάτια τοῖς ποστὶ η βαδίσοι, η καταφιλέντων τὰς χεῖρας· οἱ τῶν αὐτοκρατόρων ὀλγυοὶ μόλις ἐπέσιν οἱ τότε ἔφασσοι. Hoc dicit, præter vota & laudes etiam lacrimis & amplexibus eum prosecutos esse milites, qui vestimenta quoque pedibus illius, qua incederet

ret

*ret, subiicerent, T manus illius deoscularentur, quem honorem
vix Imperatorum paucis, qui tum erant Romani, habuerint.*

§. X.

Salutationis genus submissio fascium.

Ad hunc locum, id est ad hoc genus venustae humanitatis, in quo adhuc versamur, salutationem, illam praesertim, quae fit in publico, *fascium submissionem* referimus. Antiquissima illius mentione est in Valerii Publicolae historia, de quo Liv. 2, 7 cum narrasset, criminis viro datam domum aedificare coepit in summa Velia, *Vocato inquit, populo, submissis fascibus in concionem escendit.* Subiicit ipse interpretationem ritus huius Livi: *Gratum id multitudini spectaculum fuit, submissa sibi esse imperii insignia, confessionemque factam, populi quam consulis, maiestatem vimque maiorem esse.* Audiamus Graecos, qui fere diligentius talia explicant. Plutarillus in vita p. 102, D in eadem historia, τός τε πελέκεις απέλυσε τῶν ἔρβδων, ἀντέις τε τὰς ἔρβδες εἰς ἐκκλησίαν παρειών οὐφῆκε (id est proprie *submisit*) τῷ δήμῳ, οὐ κατέλιπε inclinavit, non in alto tulti imminentes tergis ciuum, sed depresso humi, & pedibus velut populi subiecit, μεταποιῶν τὸ πρόσχημα τῆς δημογενεῖς, affectans ita, & efficere studens Speciem maiestatemque imperii popularis. Diserte etiam hunc morem interpretatur Dionys. Halic. Antiq. 8 p. 516, 1 in historia Marci Coriolani, matrem suam honore maximo afficiens: τός τε πελέκεις, ὡς προπγεῖδαι τῶν σεατηγῶν ἔθος οὖν, ἀποθέσας κελεύσας τοῖς ὑπηρέτοις, οὐ τὰς ἔρβδες, ὅταν ἐγγὺς γένηται τῆς μητρὸς, καταστέλλει (demittere, submittere) τάντα δὲ ἔωμοιος εἴσι ποιεῖν ἔθος, ὅταν ἀπαντῶσι ταῖς μέρισιν οὐχάσι οἱ τὰς ἐλάττες ἀρχάς ἔχοντες, οὐ μέχει τὰς

καὶ ἡμᾶς χρόνος γίνεται· ἦν δὴ τότε συνήθειαν Φυλάττων ὁ μάρ-
ιος, ὃς ἐξατίνα μέσου μέλλων εἰς ταῦτα ἔχειν, πάντα ἀπέθετο·
τὰ τῆς ἴδιας παρατηματικά ἀρχῆς. Deinde p. 523, 20 de eadem re
mater Coriolani loquens, καὶ ὥσπερ, ait, ἀρτι προστάσῃ μοι τὰς
τε πελέκεις ὀπέθετο, καὶ τὰς ἑρζόδες ἔκλινε, καὶ τὸν δίφρον ἀπὸ τῆς
βρύματος ἔθηκε χαμαὶ, καὶ πάντα τὰ ἄλλα, οἷς κοσμεῖται τὰς αὐ-
τοκεντροκαὶς ἀρχαὶ νόμος, τὰ μὲν ἐμείωσε, τὰ δὲ ἐπιπόδων εἰς τέ-
λος ἐποίησε κ. τ. λ. Memorat itaque praeter securas depositas, &
fasces submissas, etiam curulem sellam de tribunalis s. gradu aliore
bumi in planum depositam, omniaque reliqua quibus summos magi-
stratus ornari mos est, partim immunita, partim plane amota.
Quod de maioribus magistratibus commemorantem vidimus Dio-
nyshum, id Ciceronis aetate adhuc in usu fuisse, ipse docet pro Plan-
eio c. 42 vbi ab hoc Macedoniae tum Quaestore eum fibi, exuli
licet Clodii, honorem habitum ostendit: *Nam simul, inquit, ac me*
Dyrrhachium attigisse audiuit, statim ad me licitoribus dimissis, in-
*signibus abiectis, (hoc est, ut mox ipse declarat, abiecta quaeflo-
ria persona) veste mutata, profectus est.* Augusti priuigno, Ti-
berio, hunc habitum honorem, docet Velleius 2, 99 extr. Ita ait,
septem annos Rhodi moratum, ut omnes, qui pro consulibus legati-
que in transmarinas profecti provincias, visendi eius grātia ad cum
conuenientes, semper priuato (si illa maiestas priuata unquam fuit)
fasces suos submisserint, fasique sint, otium eius honoratus impe-
rio suo. In Tiberio non adeo mirum fuit, priuigno Augusti &
Tribuniciae potestatis participe. Sed de Pompeio narrat Plin. 7,
30 s. 31 *Cn. Pompeius confecto Mithridatico bello, intraturus Posi-*
donit, sapientiae professione clari, domum, fores percuti de more a
lictore uetus; & fasces licitoris ianuae submisit is, cui se oriens
occidensque submisserat.

§. XI.

§. XI.

Et signorum in nauibus. Παράστασον.

Non est hic praetermittendum, quod est, ut caetera fere, praeclare animaduersum a Lipsio, in nauium etiam occursum similem horis habendi venustatem obseruatam. Fundus illius moris est Appianus, cuius narratio e Bell. Civil. 5 p. 703 H. Steph. hic ponimetur. Occurrunt sibi iniucem, in Ionio mari Antonius Triumvir & Aenobarbus Domitius, de cuius fide & obsequio ille dubitandi causas habebat. Notissimus lictoris esse animaduersionem, ut cogat homines honorem habere magistratus. Hic τῶν ἑαβδόχων ὁ ἡγεμένος Αυτωνίῳ κατὰ τὸν πούρων, ὥσπερ ἔθος ἐστιν, ἐσθὲς ... ὡς ἴππηκοίς ή ἐλασσοῖς αὐδεξεῖν ὑπαντώσι, προσέτοξε καθεδεῖν τὸ σημεῖον, οἱ δὲ καθάρανται, καὶ τὴν νεῦν εἰς τὰ πλούγια τῆς Αυτωνίᾳ νεῦς περιστρέφον. Inclamat primus lictor Antonii in prora flans, ut moris erat, nauibus Domitii, tanquam subiectis, aut viris certe minoribus occurrentibus, auferrent (certe demitterent, submittent) signum, submisserunt illi, & nauem converserunt, ut latus praeberet naui Antonii. Ita haec posteriora interpretor: non ut factum in vulgata ab H. Stephano, nauem appulerunt ad latus nauis Antonii. Cum enim robur omne esset nauium antiquarum in prora & rostris, submissionis signum est & concessionis in alterius potestatem, si ita torqueas nauem tuam, ut illius latus obliquum obuertatur prorae potentioris. Sed aliud quoque hic lubet querere: quodnam esset σημεῖον s. signum, quod submittit Aenobarbus Antonio? Latius ea vox patet. Laudans Thucydides 6, 31 pretiosum classis apparatum, mentionem facit τεμεσίχων σημεῖος ή κατασκευῆς πολυτελεῖσι χειραρχείων. Magis ad rem dē qua hic agitur pertinent aliquot Polyaeni stratagemata, ut 3, II, II i-

temque


temque 8, 53, 1 & 3: vnde appareret, signa subito tolli, assumi, permutari potuisse, eaque in re fucum fieri hostibus, ut ignorarent aliquamdiu, hostilisne an amica nauis esset? Succurrit etiam de Alexandrinis nauibus locus Senecae Epistola 77 pr. *Solis licet supparum intendere, quod in alto omnes habent naues.* — *Cum intravere Capreas, ceterae velo iubentur esse contentae: supparum Alexandrinarum insignis est.** Poterat itaque videri, hoc supparum submissum esse ab Aenobarbo: cui rei simillimum hodie morem inter nauigantes usurpari, notum est. Sed nihil tamen magis ad Appiani locum & historiam facere existimamus, quam illos numeros, vnde appareret signa militaria, aquilas, vexilla, in prora nauium proposita. Vtus est aliquot illius generis numis Io. Schefferus in opere de Militia nauali, V. G. 3, 1 p. 175 & facile fuerit proferre plures. Horum itaque signorum eadem quae fascium ratio, ut maiori potestati submitterentur.

* Hoc Senecae loco cum usus sim ad difficilem Luciani locum Nauig. C. 5 f. T. 3 p. 98 & in addendis ad eum locum; iuvat hic obiter τὰς συμφιλοσύνας monere, vehementer mihi probari, quod venerabilis Elsnerus in schediasmate Crit. p. 92 seq. ignorabili illi Parasio substituit ex Athenaeo 5, 9 p. 206 παιδίστεγον ceterum putare, que de παιδίστεγον a me dicta sunt, illa pulchre convenire in Athenaei παιδίστεγον, eandem rem utrobique esse, nempe *Supparum* illud Senecae.

P. 6 versu 3 leg. p. 783, E παιδίστεγον. Ibid. in nota, versu 2 Sinaetas non vult. §. 7 versu 5 leg. Παιδίστεγον. Ibid. in nota, versu 2 Sinaetas non vult. Sunt in priori plagula & alia minuta ab operis festinantibus peccata.







00 A 6299


ULB Halle
002 925 338

3



V01P

6017
Deko





**PRENSATIONE, OSCVLO,
FASCIVM ET SIGNORVM IN
NAVIBVS VBMISsIONE**

DISSERENT

IO. MATTHIAS GESNERVS

ELOQ. ET POES. P. P. O.

ET

LVD. IO. GEORGIVS SAXER

WVRSATIA BREMENSIS

S. S. THEOL. CVLTOR ET SEMINARI PHILOLOGICI

SODALIS

A. D. XI. SEPT' cIcIcIccxxxxv.

GOETTINGAE

TYPIS IO. FRIED. HAGERI.